

REVISIO SPECIERUM VIRIDIUM GENERIS TUPONIA:

Tuponia brevirostris REUT.

Diagn.: Virescens, superne albido-pubescens, parce fusco-pilosa; capite feminae basi pronoti $\frac{1}{3}$ angustiore, vertice oculo fere triplo latiore; rostro apicem coxarum anticarum vix superante; antennis articulo secundo latitudini pronoti basali longitudine aequali, tertio secundo aequo longo, quarto tertio duplo breviore; pronoto apice longitudine vix magis quam $\frac{1}{5}$ latiore; corio margine externo cuneoque basi anguste albidis; membrana dilute fumata, venis albidis, apice areolae majoris areolaque minore nec non limbo externo pone maculam hyalinam ad apicem cunei positam fusco-nigris, hac macula hyalina apicem areolae minoris attingente; tibiis punctis destitutis, tarsis posticis cum unguiculis tibia circiter $\frac{3}{5}$ brevioribus. Long. ♀ 3 mm.

Hab. in Gallia (Hyères!), D. Dr. PUTON.

Ab omnibus speciebus rostro brevi divergens. Solum unicam feminam examinavi.

Tuponia hippophaës (MEY.) FIEB.

Diagn.: Virescens, superne pallido-pubescens et nigro-pilosa, pilis tamen sat facile divellendis; oculis maris maximis, tota fere latitudine ultra angulos anticos pronoti lateraliter prominentibus, vertice maris oculo $\frac{1}{2}$ — $\frac{2}{3}$ latiore; capite feminae basi pronoti $\frac{1}{3}$ angustiore, vertice oculo paullo magis quam duplo et dimidio latiore; rostro apicem coxarum intermediarum attingente vel superante; antennis maris articulo secundo latitudine basali pronoti circiter $\frac{1}{3}$ longiore, lineariter crassiusculo, plerumque in testaceum nonnihil vergente; antennis feminae articulo secundo latitudini basali pronoti longitudine aequali vel hac nonnihil longiore et capite (cum oculis) saltem $\frac{2}{5}$ longiore, tertio secundo saltem $\frac{1}{5}$ breviore, quarto tertio duplo breviore; feminae pronoto apice longitudine saltem $\frac{2}{5}$ latiore; hemelytris maris longis, feminae mediocribus, cuneo basi maculaque membranae ad apicem cunei apicem areolae minoris attingente albidis; membrana cum areolis tota infuscata, venis omnibus albidis vel brachiali (♂) interdum fuscescente; tibiis punctis nigris totis destitutis; tarsis longis. Long. ♂ $2\frac{3}{4}$ —3, ♀ $2\frac{1}{2}$ — $2\frac{3}{4}$ mm.

Syn.: Hem. Gymn. Eur. I, 21, 6, T. II, f. 1!

Hab. in Tamarice, *T. africana* (FERRARI): Alsacia!, D. REIBER; Gallia (Embrun!, St. Nazaire!, D. Dr. PUTON, Camargue!, D. Dr. HORVATH); Helvetia!, D. FREY-